



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores

Hartung, Philipp von

Egræ, 1687

Philippica 44. in profanatores Ecclesiarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)



PHILIPPICA XLIV.

In Profanatores Ecclesiarum.

DOMINICA IX. POST PENTECOSTEN.

Fecistis illam speluncam latronum. Luc. 19. v. 46.

§. 1.
Cur Iesus super
Civitatem
Ierusalem
fleverit,
nec tamen
ab exitio
eam eripu-
erit.

Dum amaras Iesu mei lacrymas per utramque copiosè genam decurrere hodie video, non me contineo, quin exclamem: Salvete pretiosæ super uniones lacrymæ, quæ de fontibus oculorum Regis mei tam liberaliter fluitis, & fluendo eluitis oculorum nostrorum fordes. Salvete dulces super mel & saccharum lacrymæ, quæ de celo oculorum Dilecti mei pluitis, ut pliendo copiosam mihi dulcedinem impluatis. Salvete generosæ super vinum lacrymæ fospitatoris mei, quæ ex vinaria divini amoris cella exsilitis, ut forti instar mortis dilectione me inebrietis. Salvete fortes supra aquam fortem lacrymæ ad exedendum ferrum iniquitatum & solvenda vincula poenarum nostrarum. Salvete divinæ lacrymæ redemptionis nostræ pretium misericordiae divinæ pignus, commiserationis plusquam maternæ testimonium, secururæ spes serenitatis. ò lacrymæ! ò lumina! ò lumina! a usum quærere, cur adeo profusè inudatis: audio respõsoriã vocem: *super civitatem*, si tam liberaliter super civitatem decurrunt lacrymæ, cur non impetrant eidem veniam, & ab imminente liberant exitio? *videns civitatem Ierusalem flevit super illam*, inquit Rupertus in c. 1. Nahum, & tamen non liberavit eam. placet causa? tam grave peccatum erat urbiis

illius, ut quodammodo veniam non mereretur: *impossibile namque est eum injustè aliquid agere, injustè misereri vel parcere. non inquit possum à me ipso facere quidquam, videlicet ut faciunt injusti iudices.* Peccatũ porro illud si quæramus, quod fuerit? inveniemus aliud non fuisse, quàm tẽpli profanationem. idcirco namque post lacrymas ad flagella accurrit; vendentes & ementes eiecit, & Domum Dei in speluncam latronum converti dixit & ingemuit. cogunt proinde me Iesu lacrymæ in eos hodie fulminare, qui nullam tẽplorum rationem gerunt, sed in ijs licere sibi putat, quidquid libet, dignissimi novis Iesu lacrymis, imò flagellis, nec flagellis solùm, sed scorpionibus, sed fulminibus, sed toto inferno.

Quot & quanta scelera patrata sint Ierolymis, non tantum ex Christi amarissimis lacrymis colligo, sed vel maximè è sententia benignissimi Servatoris: *vos fecistis illam*, illam inquam domum Patris, domum orationis, diætã Angelorum fecistis speluncam latronum. Si templum est spelunca latronum, quid erit curia? quid forũ? quid officinæ? quid popinæ? quid fornices? an non Ierusalem merebitur novum diluvium, imò Sodomiticum supplicium? an non meritò clamabunt Angeli: *migremus hinc: migremus hinc!* in templo sacrilegia, nulla pietas; in cura iniquitas nulla iustitia; in fo-

§. 2.
Nullum aliud scelus proprijs manibus Deus homo punivit, quàm Ecclesie profanatione.

ro avaritia nulla charitas; in domibus lites nulla pax; in officina foenus nulla æquitas; verbo à *planta pedis* hoc est, ab infimo plebejo, usque ad *verticem*, ad summum Præsidem, non est in eo sanitas, nulla sanctitas, nulla veritas, vulnus recentium peccatorum & livor pravorum habituum, & plaga tumens inveteratæ malitiæ, & desperatæ sanitatis. Verum tot ac tanta summorum & infimorum scelera non legitur Christus punivisse, imò si quando Deus ultionum liberè egit, si in transgressores animadvertit, nunquam manibus proprijs utebatur, sed Angelorum ministerio, in templo autem delinquentes manibus ipse suis castigat, flagellum de funiculis conficit, reos cædit, mensas evertit, vendentes expellit. cur hoc? quia gravissimè sentit Deus peccata in templo patrata.

S. 3.
Cur emtores pariter cum venditoribus puniti.

Doctissimus Abulensis quæstionem movet, utrum æqualiter peccarint emtores & venditores in templo? illi certè aut leviùs aut prorsus non deliquisse videntur, quia vendentes intendebant bonum sibi, hoc est, accipere pecuniam; emtores verò intendebant emere propter bonum finem, scilicet ob gloriam Dei & cultum divinum. ità Abulensis q. 72. in c. 21. Matth. accedit quòd emtor cogatur ibi emere, ubi vulgò venditor, & tamen utrosque audimus pœnæ subjacuisse, rationem dant Summistæ, quia uterque participabat in facto damnato, est enim negotiatio illicita in Domo Dei fortè ideo quoque punitus est uterque, quia ut Ecclesi. 27. dicitur: *inter ementem & vendentem non deerit mendacium.* mentiri autem in loco sacro imò negotiari tantum citrà contentionem & mendacium ità adversum Christo est, ut mansuetudinis omnis immemor percutiat, evertat, ejiciat. O bone Iesu! si his

temporibus intrares Ecclesias tuorum Christianorum, haberes quod ageres, nec tot restiarj habèret funes, quot necessarij forent conficiendis flagellis ad castigandas gravissimas, quæ templo inferuntur, irreverentias. Multi ad templum veniunt, ut vendant non columbas, sed suam innocentiam, Dei gratiam, ut videant & videantur, dicantque (pudet dicere) amasiæ suæ: oculi tui columbarum. audite Chrysostrum homil. 24. in Matth. contra vetus hoc vitium detonantem: *multi ad formas mulierum aspiciendas, ad adolescentulorum pulchritudinem curiosius intuendam in Ecclesiam veniunt, miraris quomodo undique fulmina non deferantur? quomodo cuncta funditus non evertantur? hæc enim non fulminibus solum, sed etiam gehennæ supplicio dignissima sunt.*

Quæstioni quæstionem adjungunt doctissimi Scripturæ Commentatores, utrius peccatum gravius fuerit, Luciferi an Adami? æqualem in utroque gratiam fuisse docet S. Augustinus lib. de grat. c. 11. peccavit Lucifer peccato superbiæ: *hoc diabolus fecit, imitari Deum voluit* inquit iterum Hipponensis Doctor lib. 11. de civit. c. 13. peccavit & Adam peccato superbiæ tentationi illi nefariæ acquiescens: *eritis sicut Dij*, nec superbiã duntaxat, sed decem alijs flagitijs sese obstrinxit: accediã videlicet paradysum otiosè perambulando, peccavit curiositate arborem scientiæ lustrando; peccavit uxorius Adam affectu erga conjugem inordinato, in ejus gratiam pomum acceptando, peccavit insuper peccato furti, quia tulit de arbore vetita; peccavit gulã fructum prohibitum manducando, peccavit inobedienciã transgrediendo præceptum *tam leve*, ut habet S. Augustinus lib. 12. civit. c. 19. *ad observandum, tam breve ad memoria*

S. 4.
Plus peccavit Adã quàm Lucifer, nec tamen tantã pœnã affectus est, cur?

moriâ retinendum. peccavit infidelitate credendo serpenti, verbis verò divinis discredendo, quasi serium hoc Dei præceptum non fuisset; peccavit præsumptione de divina miseratione; peccavit mendacio culpam in uxorem regerendo; peccavit excusatione futili, contra quam Augustinus ferm. 19. de SS. pronuntiavit. *Si Adam se non excusasset, à paradiso nõ exulasset;* peccavit denique duplici blasphemiâ prævaricationem suam in Majestatem supremam detorquendo: *mulier quam dedisti mihi;* & quasi Deus non videret scirétque omnia sub ficuum folia sese occultando. En quot crimina patrârit Adam, nec tamen à facie divina projectus est, ut Lucifer, sed veniâ gratiosè donatus inque spem erectus, thronos illos aliquando suis cum posteris occupandi, è quibus superbus Lucifer irrecuperabiliter excidit, rudètibusc inferni in ignem inextinguibilem detractus. Juvat nunc quærere, cur justissimus Deus Luciferi peccatum unicum gravius senserit, punieritque acerbius, quàm integram peccatorum ab Adamo commissorum duodenam? causam in locum, ubi exorbitatum fuit, refert S. Chrysologus ferm. 26. *desperatus diabolus panam incurrit, quia in ipsis oculis divinitatis offendit, & palatium Domini profanavit.* in templo gloriæ divinæ peccavit Lucifer, ipsumque peccavit in templum, quod scelere suo contaminavit, idcirco jure asyli gaudere non potuit, spem veniæ accipere non meruit, pœnitere & resipiscere permiffus non fuit. audite hæcò sacrilegi templorum profanatores, & peccati vestri enormitatem ad rationis & conscientiæ trutinam expendite. in templo, inque templū peccatis? quid est templum? *locus est Angelorū,* ait Chrysostomus hom. 1. in Genes. *curia Arch-Ange-*

lorum, Regia Dei, celum ipsum; & vos non desistitis ex hoc coelo facere coenum iniquitatis, ex hac Dei Regia speluncam latronum, ex hac Archangelorum curia choragium dæmoniorum, heu! quæ flagra, quæ fulmina, quot quantaque supplicia, quàm severum irritatæ Justitiæ judicium in perpetuum vestrum accersitis exitium.

Divini hujus judicij & consequentis supplicij memor Psalter conscientiam scrutatur suam; ex seque sciscitatur. *cur timebo in die mala?* ps. 48. v. 6. dies mala est, vel extrema vitæ, vel extrema mundi, tunc enim Deus quasi immemor bonitatis suæ mala omnia in malos detorquebit, *cur timebo?* aliquid me angustiat, & nescio quid, dicite vos Sacerdotes & consiliarij, vos Angeli dicite, cur in die mala David timebit? prævenit responsum ipse psalter atque: *iniquitas calcanei mei circumdabit me;* hæc me in circumlum coget, in compedes adducet, stringet, flagellabit. qualis quæso est illa iniquitas? an equi instar calcitravit, percussit, stravit, an saltibus & choreis se excessisse meminit? dicunt nonnulli interpretes, esse injuriam Uriæ factam, quem hostibus conterendum objecit, & fidelem illum, nec nisi ad Domini sui pedes jacere paratum, juratumque servum uxore, vitâ, famâ spoliavit, enormique contemptu affecit. Scripturæ enim phrasi idem est levare calcaneum, quod notorium inferre contemptum. ingeniosius alij peccatum esse putant adulterij cū Bethsabæa patrati, calcanei nomine insinuatam, siquidem in eo vena est *Veneris* appellata, & ideo Achilles in Solea tantum vulnerabilis fuisse fingitur, ideò nudipedes Religiosi & discipuli in via excalceati jubentur incedere, & Christus pedes discipulorum lavit, ut venam

S. 5.

De nullo peccato plus doluisse videtur David, quàm de peccato in templum.

des

illam tangeret & sanaret, quæ spiritui semper est infesta. alij dicunt Davidem timuisse à peccato finalis impenitentia, gratia enim finalis cum sub meritum non cadat, timere nos facit meritò, nè excidamus salutem. sed ego solutionem accipio ex proverbio gentilium dicere solitorum de contemptoribus Numinum: *oculum habet in solea*; hoc est, non observat Deos, sed conculcat. Huc alludere David videtur, cum ait: *iniquitas calcanei mei circumdabit me*, oculos in solea habui, Dei presentiam non attendi, in arce Sion prævaricatus sum, quæ speciem quandam templi ob singulares presentissimi Numinis gratias mihi collatas representabat. hoc! hoc est, quod in die mala me facit timere, contremiscere, horripilare, & ingemiscere, illachrymari & ingeminare: *tibi soli peccavi & malum coram te feci*! non erubui ante te peccare, qui hoc in loco templum tibi aliquando erigendum destinasti. sensit David (Chrysologum recito ser. 3.) quantum sceleris sit in ipso Dei peccare conspectu, & ideo clamat: *Tibi soli peccavi, & malum in oculis tuis*, ita hebr. *feci*. heu quomodo ejulasset & ingemisset Rex penitens, si non in Regia & umbratili templo, sed coram arca, imò coram simili qualis nostra est ara & Domini corporis presentia peccare se meminisset. hæc enim loci circumstantia mirum quantum peccati gravitatem exaggerat; certè si sola dorsi obversio contra altare judaici templi tantoperè Deum exacerbavit, ut implacabilem sese exhiberet, prout Ezechielis 8. v. 15. & 17. videre est: *ecce in ostio templi Domini inter vestibulū & altare quasi viginti quinque viri dorsa habentes contra templū. nūquid leve hoc est Domui Juda? ergo & ego faciā in furore*, quanto gravius sentiet divina illa Majestas peccata.

Christianorum in templo propudiosissime solita committi?

Audio divinam Nemefim ex ore præcipuorum quatuor Prophetarum adversus templorum profanatores usque ad eodē clamare, tonare, fulminare, ut de eorundem salute pœnè sit conclamatum. Evangelicus vates in primis omnem salutis spem illis præscindit, qui in templo iniquitates committere non verentur: *in terra Sanctorum iniquatus gessit, non videbit gloriam Dei*. terra Sanctorum est Ecclesia, inquit Cornelius hic, in ea enim regnat Spiritus Sanctus, multosque sanctificat, in ea sancta tractantur, ac præfertim Sanctum Evangelium. *in terra Sanctorum existens*, inquit S. Bernardus, *tanquam in celo iniquatus gessit, ideo inventa est iniquitas ejus ad odium, nec remittetur*. Jeremias orare & plorare pro templi profanatoribus non permittitur, ita asseverante vero severoque vindice Deo. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, quia non exaudiam te, quia fecerunt malum in oculis meis dicit Dominus: posuerunt offendicula sua in domo, in qua invocatum est nomen meum*. optat alioquin Deus pro peccatoribus audire justorum suffragia, gaudetque manus sibi ad vindictam ligari, uti ligavit Abraham, Moyfes, Daniel alisque, imò querulatur Deus, si neminem inveniat, qui pro peccatoribus oret: *quasi vi de eis virum, qui interponeret spem, & staret oppositus contra me pro terra, nè dissiparem eam, & non inveni*. at verò pro peccatis in templo patris orari nequaquam vult, nè exaudire & parcere cogatur. Est enim oratio, ut habet S. Augustinus, *Deo artificium, oranti subsidium, dæmoni flagellum*. hoc itaque flagellum Deus impedit, ut absque misericordia impij flagellentur. Prophetarum tertio Ezechiel est, quem De

§. 6.
Terribi-
senten-
æ quatuor
Prophe-
tarum con-
tra profa-
natores
templorū.

f. 26. v. 10.

S. Bernar-
dus in de-
clamat.
post init.

Jerem. 7.
v. 16.

Deus in consilium & censuram iudicij sui adhibet iniquis: *nunquid leve est hoc domui Juda* (populo christiano) *ut facerent abominationes istas, quas fecerunt hic* (in loco sancto garriendo, cacchinando, detrahendo, lasciviendo, furando) *ergo Ego faciam in furore, non parces oculus meus, nec miserebor, sed cum clamaverint ad aures meas, non exaudiam illos.* si quæram qualesnam fuerint abominationes, quibus Deus tantoperè irritabatur, alias non invenio, quàm quòd viginti quinque viri dorso habuerint contra templum Domini; quam irreverentiam, si cum gravissimis christianorum sceleribus conferam, muscam cum elephanto contulisse videbor, obturatae sunt aures Dei contra vos, qui in templo aures sanctorum coaxationibus vestris offēditis clausi sunt misericordiae oculi adversum vos, qui in templo oculos vestros evagari liberrimè permittitis, nullus misericordiae vobis locus est, qui templum in vitiorum officinam commutatis.

Denique Rex Prophetarum & Propheta Regum, David inquam, gravissima violatoribus templorum mala imprecatur ps. 73. v. 3. hinc Deum verbis interpellans: *leva manus tuas in superbias eorum in finem.* quot verba tot sacramenta. *leva* inquit non simpliciter percutite, sed validissimè verbera, & quo ferius eò gravius ictum inflige. nec unam solummodo manum adhibe, sed utramque: *leva manus tuas.* Tu ipse percutite, neque Angelorum aut dæmonum ulli hanc executionem permitte quo circa & Christus manu suâ flagellasse venditores, flagellatosque exturbasse legitur, nec ulli seu Angelorum, uti quondam Assyriorum sub Duce Sennacherib fragem uni Angelorum demandarat, aut alicui diabolorū, uti quon-

dam in corp^o Jobi, neq; ulli Levitarū uti quòdā cædē idolomanicorum in deserto judæorum, officium puniendi committit, sed ipse manus admove & supplicia infer: *leva manus tuas in superbias eorum.* propter unicam Luciferi superbiam pulcherrimum Angelum cœlo deturbasti, cur ergò non unam sed multiplicem eorum superbiam toleras, qui in templo spectabiliorem locum affectant, orant ut videantur ab hominibus, vestibus superbis amicum, ut amentur ab hominibus, garrunt ut placeant, & multiplici sese superbiâ contra Deum & proximum exemplo Pharisæi involvunt. *leva manus tuas in superbias eorum in finem.* non tantum temporali supplicio sacrilegos plecte, sed finè fine discrucia, atque nè dubitari possit, tot tantaque supplicia ob violata templi jura deposci, paulò post addit Psalter admiratione plenus: *quanta malignatus est inimicus in sancto, & gloriati sunt, qui oderunt te in medio solennitatis,* sive ut in Hebræo est, *in medio templi, in quo agitur solennitas.* hæc est causa, cur manus utraque Dei vindicis ad inferenda gravissima supplicia expetatur, quia in medio templi, tempore solennis officij, in Angelorum frequentia, in oculis supremæ Majestatis peccatur; & à quibus peccatur: à malignis peccatur, *quanta malignatus est,* ab inimicis peccatur, *quanta malignatus est inimicus,* ab osoribus Dei, sive ab atheis: *qui oderunt te in medio solennitatis;* quod scelus adeò enorme est, ut Christicidio quodammodo præferatur, unde subjungit Psalter: *super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* quasi dicat: gravius hoc mihi dolet vulnus dū templa mea violari video, quàm illa doluerint quondam vulnera, quæ judæi gentilesque tempore passionis meæ mihi intulerunt.

G g

O ju-

§. 7.
Profana-
tores tem-
plorum
judæis de-
teriores
funt.
Matth. 26.
v. 55.

2. Reg. 15.
v. 8.

O judæis deteriores Christiani, qui in templo delinquant! judæi enim Christum benedictum non tenuerunt, non vulnerarunt, non occiderunt in templo attestante ipso met Christo: *quotidie apud vos eram docens in templo, & non me tenuistis;* at Christiani quàm plurimi in templo Salvatorem suum vulnerant, & super dolorem vulnere addunt, & nonnunquam in templum conveniunt, ut liberiùs peccent. Absaloni similes ejusmodi rebelles filij sunt, & primogenito sceleratorum multò deteriores. Absalon ut in parentis sui caput securiùs conspiraret, finxit se in Hebron ad tabernaculum foederis concedere: *vadam & reddam vota mea* (ita subdolosus ille & nefarius parricida ad Patrem loquitur) *qua vovi Domino in Hebron.* cui ignarus malorum David: *vade in pace.* ita factum est peregrinationis gratià abijt Absalon & sacrificia litavit, *at cum immolaret victimas, facta est conspiratio valida.* hæc loci & actionis circumstantia crimen immaniter auxit, quòd victimarum tempore sit conspiratum. habet hodièque Absalon multos confratres ac sorores, petant à parentibus aut superioribus licentiam abeundi & adeundi Ecclesiam, audiendi missam, concionem, vespers; at cum sacrificium laudis immolatur, foedus ineunt cum Sathana, & validè contra Iesum conspirant, atque in semetipsis denuò crucifigunt, ac trucidant. non est passus Dei filius se in templo lapidari, sed *abscondit se & exiit è templo* Ioann. 8. v. 59. non quod mori non cuperet, cum ad hoc in mundum venerit: *sed nè tanto sacrilegio domus illa pollueretur,* inquit Hugo Cardinalis; & patietur in templo sancto suo super dolorem vulnere se confici? ut Abelem occideret archilatro Cainus, in agrum in-

nocentem agnellum eduxit, cur domi clavam in caput fratris non impexit, aut jugulum cultro petiit? responsum Chryostomi in promptu est: *quia domus illa templi Domini Sabbatho formam habebat, & tu sacrilege violator templi Dei factum violare ausis? disperdet te Deus longè severiùs, quàm Cainum disperdidit.*

Quid est templum quòd tam liberè garritionibus, cachinnis, impudicis aspectibus violatur, quid est templum? cor urbis est, cœnaculum grande stratum est, sponsa Dei incarnati est. cor urbium esse templum Chryostomus dixit, & indubitanter asseveravit: *sicut à corde procedit vita, eoque violato vitam interire necesse est, ita templum omnis felicitatis est origo.* unde quoties Jerosolymam Christus ingressus est, toties recto itinere templum adijisse scribitur. hoc erat boni medici ait citatus Chryostomus, ut ingressus ad infirmam civitatem ad primam originem intenderet. nam sicut de templo omne bonum, ita de templo omne malum egreditur. Sponsam Christi vocavi Ecclesiam, ita namque aquilinà illam depingit pennà Ioannes, *sicut sponsam ornatam viro suo;* nullus tantopere zelat pro sponsa sponsum, sicut pro decore Ecclesiæ Christus, quem *zelus domus Dei comedisse* dicitur, ut intelligamus zelotypum esse Iesum, nec offendi facilius posse, quàm si in sponsam ejus peccetur. ut Assverus Amanem vidit lectulo Reginae Estheris incumbentem, gravissimè stomachatus, Aman mox in altissimum patibulum absque ulla inquisitione ulteriori appendi iussit exclamans: *me presente in domo mea.* ò quoties idem repetere posset Regum Rex, & in malam nos reprobare crucem, quòd ipso præsentem in domo ejus patrando scelera mul-

§. 8.
Templum
est cor ur-
bium Spō-
sa Christi,
cœnaculū
grande.

S. Chryso-
stomus
hom. 28. in
Matth.
Matth. 21.
v. 12.

Apoc. 21.
v. 2.

joann. 2.
v. 17.

Esther. 7.
v. 3.

ta

ta charissimam suam sponfam iniquissimè violemus. Denique cœnaculum grande, ut scripsit S. Hieronymus in c. 14. Marci Ecclesia est, de quo ingeniosè Bulgarorum Archiepiscopus Theophylactus observat, quòd pascha ultimum celebraturus Salvator hæc Petro & Joanni præcipiat: *ite in civitatem, & occurret vobis homo*, cur nomen non exprimit? sciebat Dominus nomen ejus, cujus sciebat mysterium & occursum ait Ambrosius lib. 10. in Luc. nomen non expressit nè proditor, cognito nomine ait Theophylactus in cat. S. Thomæ domum panderet Phariseis, qui venientes cepissent eum. *non enim conveniebat*, subjungit Origenes, *ut ibi caperetur, ubi cum discipulis manducaverat pascha.* & tu ibidem illum ò! christiane denudò trades, flagellabis, crucifiges! cœnaculum grande Ecclesia est, quisquis in hoc peccat, non jam flagris, sed scorpionibus dignus est.

Marc. 14.
v. 13.

§. 9.
Gravius
puniantur
peccata
in templo
patrata,
quàm gra-
vissima e-
stra tem-
plum.

Non ergò miremur amplius peccata in templo patrata gravius quàm gravissima quæque à justo Numine sentiri puniri que. Adulteram in recenti flagitio deprehensam ad Christum adducunt Pharisei, nec tamen hanc piissimus Salvator condemnat aut flagellat, nè increpat quidem, quia in templo non peccarat, sed peccasse poenitebat, è contra Phariseum jactabundum extemplo cum omni ejusdem castimonia & eleemosynis Christus eiecit, quia in templo vanæ gloriæ peccato se Phariseus contaminavit. Zacharias Angelo nuntianti præcursoris Dominici conceptionem non credidit, Thomas Apostolis resurrectionem Dominicam enarrantibus fidem pariter non adhibuit, nec tamen Thomas mutus efficitur uti Zacharias, quia hic in templo, extra templum ille crimen infidelitatis patravit. colaphis cædi-

tur, flagris dilaceratur Dei filius, nec tamen cædentium manus arefiunt, nec flagellantium tergora flagellantur, sicut Jeroboami manus arefactæ sunt, eò quòd Prophetam Michæam in templo percussisset, & Heliodorus flagellatus est propter Soly-mæum templum expilatum, ut non absque ratione dixerò, gravius punita à filio Dei, cui Pater omne dedit judicium, in templum, quàm in proprium corpus suum patrata crimina. postquam Judas triginta argenteos tanquam injustum innocentissimi sanguinis pretium in templum, & fortè in eundem templi angulum, in quem numulariorum æs, sex antè diebus, Christus abjecerat, conjecit, projectus & ipse à Deo est, quasi hoc scelerum suorum priorum complementum esset, & veniam exinde non mereretur, tam grave enim peccatum est, quod in templo patratur, ut difficilem habeat remissionem; excidium Soly-mæ & regni Israëliti prædicens Salvator, causam refert in sanguinem effusum & potissimum Zachariæ occisi inter templum & altare Matth. 23. v. 35. ille enim sanguis potissimum vindictam clamat, illa impietas severam justitiam excitat, illud peccatum ultionum Deum irritat, quod in loco Sancto committitur.

3. Reg. 13.
v. 4.
2. Machab.
3. v. 26.

Non sinè grandi mysterio Evangelista describens ejectionem vendentium & ementium per verbum *capit* expressit, ut innueret ejectionem profanatorum ex Ecclesia nondum esse finitam, nec supplicium eorundem unquam finendum! *capit ejicere*. sicut olim eiecit, ità hodie multos eiecit ex vita, ex gratia, ex æterna gloria, ex felicitate temporanea, quia in templo iniqua gesserunt. manet æternumque manebit sententia in impios lata Soph. 1. v. 9. *visitabo super omnem, qui implet domum Domini iniquitate.*
Gg 2 in-

§. 10.
Cur dica-
tur, quod
IESUS
cepit e-
jicere.

infinite sim, si exempla eorum adduxero, qui propter violata non tantum veri Numinis, sed & profanorum deastrorum templa infelicissime toto cum exercitu perisse leguntur.

Xerxis exercitus ex quinquaginta centenis millibus conflatus perit, quia templum Apollinis profanavit; Alexandri milites in sese mutuis caedibus saevierunt, quia Bacchi fanum profanarunt, Julij Caesaris exercitus perit, quia in Francia templa diruit. quanto magis peribunt, qui Dei vivi & veri templa arasque profanant. Filij Heli appellantur daemones & athei, & pestis reipublicae, quod abominandis sceleribus templum Domini contaminarint. *porro filij Heli, filij Belial nescientes Dominum*, Chrysostomus legit in ps. 13. *filij Heli, filij pestis*; non est quod Dominum negarent, sed turpia facerent in tabernaculo, nescisse Dominum dicuntur, inquit Orator aureus.

§. II.
Profanatores templi non merentur misericordiam, quod quatuor figuris ostenditur.

Tantum revera crimen est peccare in templo, ut misericordiam non mereatur. *Liquet*, verba sunt Galfridi apud Tilmannum, *quod ob avaritiam maxime eorum, qui in templo negotiabantur imminere ei civitati excidia videbantur, quando post lacrymas & querelas illi potissimum sunt ejeti*. Nabuchodonosor ingentibus se obstrinxerat sceleribus idololatra, tyrannus, injustus, ambitiosus, raptor, & tamen illi solum peccatum in Hierosolymitanum templum patratum objicitur Hab. 2. v. 17 *iniquitas Libani operiet te*, opprimet inquam te ut Sanchez explicat peccatum violati templi. Cur autem Libano comparetur templum, duas assignat rationes Cornelius, quia videlicet ex cedris Libani extructum, deinde, quia ab altissimis lapidibus, è quibus constabant muri, ita albicabat, ut Libanus sive candor merito diceretur.

Nabuchodonosore parente peior filius Balthasar Dan. 5. v. 5. cum vasis templi abuteretur tanquam belli spolijs (ò Germania! quae in nupero bello octoginta calicum millia perdidisti, compatiore ego tibi, vae autem dico raptoribus sive receptoribus spoliolorum ex Ecclesis tuis ablatorum) ita irritavit iram Omnipotentis, ut absque mora facta sit in impium Regem executio: *in eadem hora apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis contra candelabrum*. fuerit hoc ipsum ex templo Salamonicum candelabrum, quid manus haec portendat, glossa indicat ordinaria. fertur sententia divina contra praedictos peccatores in scripturis, & ut firmior ostendatur *in hac conscriptione scribens est Deus Pater, manus Filius & digiti Spiritus Sanctus*. Tota concurret Trinitas ad irrevocabilem ferendam sententiam adversus templi violatores. Si Pater aeternus, Deus ille ultionum liberè ageret, recurri posset fortè ad Filium; si talis Filius qualis Pater, appelleremus ad Spiritum Sanctum. scimus enim ex Fastis Marianis adolescentem peccatorem à Patre reprobatum, à Filio despectum, fuisse denique à Spiritu Sancto reconciliatum Patri & Filio. at verò si etiam Spiritus Sanctus scribit mortis sententiam vae tibi Balthasar! vae tibi aula! vae civitati! vae regno! tam horribile peccatum est, ut tota Trinitas compareat sententiam proferens & subscribens.

Juvat ex eodem fonte figuram adhuc unam stabilendae nostrae sententiae adducere. Postquam Ezechiel abominationes in templo commissas descripsisset c. 8. recenset mox poenam c. 9. v. 2. *Ecce sex viri veniebant de via porta superioris. iuste Deus! quid sibi volunt sex viri, cum duo suffecerint Sodomae e-*
ver-

Ex Padilla
in Habac.
pag. 431.

vertendæ, unus protoparentibus è paradiso eliminandis, unus Sennacherib exercitui delendo. ecce sex viri de via portæ superioris, quæ respicit ad aquilonem. ô malum omen! ab Aquilone omne malum! *Et unusquisque vas interitus in manu ejus. Vir quoque unus in medio eorum vestitus erat lineis, quid hoc rei? quæ illa persona in lineis? respondet S. Gregorius 22. moral. c. 13. vir vestitus lineis est Redemptor noster, qui etiam, de tribu Sacerdotali aliquos patres habuit. pro vestitus lineis septuaginta legunt: vestitus podere, erat in medio sex virorum unus in habitu Pontificis ait S. Hieronymus habitus pontificalis est misericordiæ conciliandæ idoneus. at hic non misericordiam sed justitiam atque vindictam provocat, & everisionem urbis urget ob templum violatum. tantum enim peccatum est, quod in templum committitur, ut ipsa misericordia in vindictam mutetur.*

Ter tentarat Dei Filium Sathanas miro prorsus astu. prima tentatio cedere in damnum Christi debebat, ut videlicet ex lapide faceret panes, quam tentationem omnes illi patiuntur, qui præmium æternum vertunt in lucrum temporaneum. tertia tentatio fuit ut pro omnibus mundi regnis semel caderet in terram & adoraret diabolum. media tentatio fuit se verior cæteris & insolentior, ut se è pinnaculo templi præcipitaret in pavementum. Casus vocatur peccatum idololatricum, *si cadens adoraveris me.* at verò peccatum, quod non dico in templo, sed extra & in vicinia templi patratum est præcipitium, nimirum lapsus quilibet in templo præcipitium est, at verò idololatria extra templum, non nisi casus respectivè vocatur, ut sciamus inquit Padilla peccata aliàs gravissima, quæ in templo

committuntur, in gravitate excedere ea, quæ extra templum perpetrantur, quamvis in genere suo sint atrocissima, tantùmque ab illis distant, quantum præcipitium à casu.

Idololatriæ peiores qui in templo delinquant. gentiles enim ipsum limen honorabant, & non nisi nudipedes intrabant (quod defactò servant Saraceni) *Tarpejum limen adora* Juven. Satyr. 6. at verò Christiani in templo coram Venerabili exposito sedent, garrunt, rident, mugantur, procantur, lasciviunt; proh nefas plusquam ethnicum! plusquam diabolicum! *ecce Dagon jacebat pronus in terra juxta Arcam Domini* 1. Reg. 5. v. 3. at verò dum repositus Dagon esset à sacrificulis, cecidit demò die postera, & quidem longè graviùs, *porrò Dagon solus truncus remansit* v. 5. cur in secundo casu truncatur, non in primo? respondet author recens, quòd primà vice Arca possessionem templi adierit, adeoque priorem loci possessorem templo exire jussit, imò ejecit; quærat sibi cultores Dagon, sed extra templum ab Arca jam possessum & consecratum, at verò dum secundo collocatur in Ara, non cadit simpliciter, sed præcipitatur ad comminationem, ut moneamur quàm sit periculosum peccare in templo, & quidem iteratò peccare, postquam supplicia reis inflicta legimus, zelum Dei pro domo, pro paradiso, pro sponsa sua vidimus, minas profanatoribus templorum cœlitùs intentatas audivimus. Finiat Augustinus & ultimum in profanatores Ecclesiarum fulmen detorqueat *ser. 2. v. 51. diabolo ductore ad Ecclesia conventum pergitis, Et cum eodem ad aeterna properatis tormenta.*

* * *

Gg 3

PHI-

§. 12.
Profanatores templi & diabolicis deteriores.